



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Punct. 1 Vnde dicatur lex, & quid sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

TRACTATUS TERTIVS DE LEGIBVS.

PROOEMIUM.

STVDIOSVS rerum moralium præ oculis habere debet dicenda in hoc tractatu, vt pote principia communia omnibus quæ de vitiis, & virtutibus in sequentibus dicenda sunt. Claritatis gratia hunc tractatum in sex disputationes diuidam.

- In prima explicabo naturam legis, eiusque conditiones, & causas.
In secunda specialem sermonem instituiam de lege irritante, & pœnali: hoc est, de lege imponente pœnam, & irritante actum contra ipsam factum.
In tertia de lege non scripta, quæ est consuetudo.
In quarta de lege speciali, quæ priuilegium vocatur.
In quinta de cessatione legis, eiusque interpretatione.
In sexta de illius dispensatione.

DISPUTATIO I.

De lege in communi, eiusque causis.

PUNCTVM I.

Vnde dicatur lex, & quid sit.

- 1 Expenditur etymologia legis.
- 2 Definitur lex.
- 3 Atponitur eius differentia à consilio, petitione, & præcepto.
- 4 Semper debet esse iusta, rationalis, & bono communis conueniens.
- 5 Respicit commune bonum.
- 6 Proponeitur quadam obiectio.
- 7 Satisfit obiectio.
- 8 Lex ferenda est ab eo, qui curam communitatis habet.
- 9 Debet esse promulgata.
- 10 Expenduntur alia conditiones.

Ex dicitur primò à legendo, secundùm Iliodorum *2. etymol. cap. 10. & lib. 5. cap. 3.* quia in ea legitur quid faciendum sit, quid vitandum. Secundò dicitur à deligendo, eo quod ex multis eligat quæ priora videntur, ad rectum viuendi vltimè tradit Cicero *lib. 2. de natura Deorum*, vel vt dicit Augustinus in *quest. ex nono Testamento, quest. 15.* vt de multis, quid eligas, scias. Tertio dicitur à ligando, quia ligat homines ad sui obedientiam: sic D. Thomas *1. 2. quest. 90. art. 1.* Variis autem vniuersis solet lex appellari, iuxta varias factiones, quas habet; cum enim lex doceat, instituat, præscribat, quid sit agendum, vel omittendum, aliquando solet appellari doctrina, institutio, præscriptio: specialiter tamen dicitur, *ius constitutio, statutum, & sanctio.* Dicitur *ius*, quia iubet, & imperat; vel quia intendit tribuere vnicuique quod suum est: dicitur *constitutio, & statutum*, quia constituit, quæ sunt facienda: dicitur *sanctio*, quia sancit pœnam non obtemperantibus ex *sanctio, ff. de pœnis.* Hæc autem nomina in eo differunt, quia leges Præncipum supreni secularis, Regis, vel Imperatoris vocantur iura; Pontificis verò decreta, vocantur constitutiones Inferiorum verò Principum, ciuitatum, & populorum decreta, vocantur statuta. Vide Azor *tom. 1. instit. mor. lib. 5. quest. 1. & 2.* Suarez *de legib. lib. 1. cap. 1. & 2. Salas 1. 2. tractat. 24. disp. 1. c. 1. 2. & 3.*

2 S. Thomas recepit ab omnibus *1. 2. q. 90. art. 4.* definit legem, vt sit ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communis eis habet promulgata. Dicitur *ordinatio*, quia ordinat, & præscribit quid sit faciendum, vel vitandum;

dicitur *rationis*, quia à ratione provenit hæc ordinatio, & quia non tam respicit bonum speciale subditorum, quàm reipublicæ, ideo ad commune bonum dicitur ordinata ab eo, qui curam communis boni habet; & insuper requirit lex promulgationem, vt ex sequentibus videbimus.

Vt autem hæc definitio plenius intelligatur, supponendum est, quemlibet legislatores, antequam ferat legem, iudicare debere legem illam conuenientem esse reipublicæ; alias imprudenter, & iniuste legem ferret absque hoc iudicio, illaque deficiente lex nulla esset, quia nullam vim haberet obligandi, vt pote, quæ iusta non esset. Hoc iudicio supposito acceditur secundò voluntas, quia vult subditos obligare ad legis obseruationem. Tertio signo aliquo manifestat eius voluntatem. Ex quo fit legem esse actum intellectus, & voluntatis; intellectus, inquam, iudicantis rem imperatam per legem esse conuenientem bono communi; voluntatis, intendenti obligare subditos ad eius obseruationem. Nam sine quolibet horum actuum non erit lex; sine primo non erit iusta, & rationalis, & sine secundo non obligabit. Requiritur insuper tanquam conditio, & applicatio, vt hæc manifestetur subditis, alias non poterunt obligari. Sic Suarez *lib. 1. de legib. cap. 4. numer. 6. & cap. 5. per totum, præcipue numer. 22.* Bonacina *disputat. 1. de legib. quest. 1. punct. 1. numer. 1.* & alij apud ipsos.

3 Ex his constat primò, quia ratione lex differat à consilio, à petitione, & præcepto. Nam licet per hæc ordinetur quis, & dirigatur ad rectè operandum, non tamen dirigitur per ipsa, tanquam per aliquem actum alicuius superioris respicientis bonum commune. Consilium enim, & petitio non est formaliter actus superioris, cum ab æquali, & inferiori possint procedere. Præceptum verò, est necessitò petat à superiore orti, non tamen à superiore respiciente bonum commune, cum præceptum speciali bono illius, cui præceptum imponitur, contentum sit. Præterea præceptum spirat motu imponentis: at lex cum sit perpetua, eius morte non finitur, quam differentiam notauit Menochius *lib. 1. de arbit. q. 69.* Valq. *1. 2. disp. 151. c. 3.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 28. q. 2. n. 47.* Suarez *de legib. lib. 2. cap. 10. n. 9.*

4 Secundò constat legem iniustam, inuilem, non conuenientem bono communi legem non esse, neque obligationem inducere, ita Valq. *1. 2. disput. 151. cap. 2. Salas de legibus, disput. 2. sect. 8. n. 50.* Bonacina *disput. 1. de legibus, quest. 1. punct. 1. num. 9.* Suarez *lib. 1. cap. 9. num. 1.* In casu autem dubio an sit conueniens, inuilem, vel iniusta, præsumi debet iustam esse, & obligationem inducere; vt relato Panormitano, Felino, & aliis docet Suarez Bonacina, & alij *suprà.* Vide quæ diximus in *tractat. de conscient. disput. 3. punct. 7.* vbi de casu dubio legis.

5 Prima ergo conditio requisita ad legem, est respicere bonum commune, ex Papiniano in *l. lex est, ff. de legib. ibi. Lex est, commune præceptum* & ex Iliodoro relato in *c. erit autem lex, distinct. 4.* vbi inter conditiones requisitas ad legem ait esse, vt nullo proprio commodo, sed pro communi ciuium utilitate constituta

conscripta sit, & tradit D.Th. communiter receptus 1.2. q.90. art.1. Suarez cap.6. n.8. Ratio est manifestata, quia leges sunt de se regulæ perpetuæ humanarum actionum. Non ergo personarum particularium, & bonum illatum, quod finem habent; & debeat respicere. Item sunt à persona publica, quatenus publica est.

6 Dices plures esse respicientes bonum speciale, & non commune, quales sunt leges minorum, pupillorum, militum quæ respiciunt bonum harum personarum, non communitatis. Secundo quodlibet privilegium, quod lex privata dicitur in cap. privilegium, dist.3. in bonum tantum privilegii cedit, non commune. Tertio lex tributorum, & vectigalium solum respicit utilitatem Regis, non communitatis: imò potius est in damnum illius. Quarto lex præscriptionis, quæ aliquibus est utilis, pluribus est damnosa. Ergo non omnis lex cedit in bonum commune. Tandem, quia si leges hæc, quæ bonum speciale aliquorum civium respiciunt, leges propriè nuncupantur, eo quod bona civium sint bona communitatis, quia bonum partis est bonum totius; quodlibet præceptum latum cuilibet personæ particulari, dici poterit lex: quia eius bonum cedit in bonum commune. Ergo hæc indirecta cessio non sufficit ad legem.

7 Respondeo leges pupillorum, minorum, militum, nobilium, &c. bonum commune respicere; quia non attendunt bonum cuiuslibet personæ singularis, quatenus talis est, sed quatenus inducit rationem communem pupilli, minoris, militis, &c. Præterea bonum harum personarum cedit in bonum totius reipublicæ, cui maximè convenit supradictis personis fauere.

Ad secundum dico, si privilegium sit pro aliquo genere personarum latum, lex in rigorè erit: si autem sit pro singulari persona concessum, à lege propria distinguitur; quia tunc non respicit bonum commune, sed speciale.

Ad tertium leges vectigalium, si vectigalia iusta sunt, utiles esse reipublicæ, quia nihil reipublicæ utilius esse potest, quam esse defensionem, ad cuius finem tributa imponuntur.

Ad quartum legem præscriptionis vtilem esse reipublicæ, quæ vitat lites, & pacem constituit, esto alicui damnosa sit: sicuti lex punitiva damnosa est delinquenti, utilis tamen reipublicæ.

Ad ultimum concedo indirectum illum & remotum respectum boni communis non sufficere ad legem, ut probat exemplum de præcepto lato personæ singularis. Quare ad rationem legis necessario requiritur, ut per ipsam legem immediatè respiciatur bonum commune, quod non potest esse, nisi circa ipsam communitatem, vel partem principalem illius feratur lex. De intentione autem legislatoris non est curandum: nam esto ipse legislator malo animo procedat, si tamen lex ipsa iusta est, quia bono communi est conveniens; sufficit ad obligationem inducendam. Si tamen ipse per legem damnatum alicuius intendit, quodque in bonum commune non cedit, iniusta erit lex, & nullam obligationem inducet, & ab illa ut iniusta licebit appellare, vel exceptione doli contra eam agere, ut rectè dixit Panormit. in rubr. de constitut. num.2. Felin. in cap. cum omnes, de constitut. num.5. Bart. in l. omnes populi, de iust. & iur. quest.5. n.53.

8 Secunda conditio requisita ad legem est, esse latam ab eo qui curam communitatis habet, non qualemcumque cutam, sed cutam politicam, & iurisdictionis. Pro quo advertendum est dupliciter te curam communitatis habere posse. Primò per potestatem dominatiam, & economicam. Secundo per potestatem politicam. Primam potestatem dominatiam habent parentes in filios, domini in seruos, mariti in uxores; & hæc potestas non sufficit ad ferendam legem: tam quia ex vi illius nihil possunt exigere, quod sibi non debeat: tam etiam, quia ex vi huius potestatis non attenditur semper bono subditorum, sed proprio. Restat ergo ad ferendam legem necessario requiri potestatem politicam seu iurisdictionis, qua scilicet legislator potens sit subditos cõtere, & bonum non proprium, sed commune respicere, sic D.Thomas 1.2. quest.90. art.3. ad 2. Salas de legib. disp.1. sect.9. num.54. Sayrus in claus. regin. lib.3. cap.1. n.7. Bonacina disp.1. de legibus, quest.1. punct.1. n.1. & punct.3. n.2. Suarez lib.1. de legib. cap.8. num.2. & n.6. pluribus exornat.

9 Tertia conditio requisita ad legem est, esse promulgatam seu incantam subditis; sine hac enim promulgatione vim obligandi habere non potest, cum non possit de illa subditis constare. Debet autem hæc promulgatio communitati fieri, quia pro bono communitatis fertur, & quia singuli non obligantur, ut singulares personæ, sed quatenus partes sunt communitatis; ac proinde ipsa communitas debet quasi prius obligata esse, sic D.Thomas 1.2. quest.90. art.4. & tradit Iudor. in d. cap. erit autem lex, dist.14. Sayr. n.12. Suar. lib.1. c.11. Castro lib.1. de leg. pan. c.1.

10 Aliæ autem conditiones à Doctoribus enumerantur, quæ vel in superioribus continentur vel non sunt necessariae. Exponitur, inquam, ad rationem legis scriptura, sed hæc pro-

babilius est necessarium non esse, sed convenientem; voce enim manifestari voluntas legislatoris potest, ut rectè dixit Ioan. Andr. in reg. nemo potest, de reg. iur. in 6. Panormit. Decius, & Felin. in rubr. de constitut. & multis relictis tradit Suarez lib.1. de legib. cap.11. fine, & lib.3. cap.5. n.6. Azor. tom.1. institutionum moralium, lib.5. cap.2. quest.5. & constat ex cap. institutionis, 25. quest.2. ibi, institutionis nostra decreta, sine qua scripto decernimus, sine qua in nostra presentia videntur esse disposita, & cap.1. de iururando in 6. ibi, iuramentum statuta, consuetudines Ecclesiarum scripta, aut non scripta inuoluntate observare. Idem collat ex cap. in istis, dist.4. & cap. consensu, dist.1. Secundo requiritur acceptio populi, sed hoc ex benignitate legislatoris, ut postea dicemus. Tertio requiritur perpetuitas, si enim pro determinato tempore lex feratur, potius præceptum, quam lex dici debet. Nam cum lex pro bono communitatis feratur, & communitas de se perpetua sit, lex etiam debet esse perpetua: & tradit gloss. in cap. à nobis, 1. de sentent. excomm. & Panormitanus ibi num.11. Nauarrus summ. cap.27. num.74. Suarez plures referens lib.1. cap.10. num.5. innot. num.16.

PUNCTUM II.

Quotuplex sit lex.

- 1 Lex triplex est, alia diuina, alia naturalis, alia humana.
- 2 Quæ sit lex diuina.
- 3 Quæ naturalis.
- 4 Quæ postiva, & quotuplex.
- 5 Expenduntur alia legis diuisiones.
- 6 Quæ sit lex adiuua, quæ fauorabilis.

1 Lex alia est diuina, alia naturalis, alia humana. seu positiva. Diuisio hæc recepta est ab omnibus Theologis, & iuris peritis.

2 Lex ergo diuina est Deus ipse, quatenus iudicat, quid faciendum sit, quidve omittendum, & voluntatem habet obligandi homines, & Angelos ad sui obseruationem. Ex hæc igitur lege omnes leges dimanant, illique conformari debent, quia est prima regula, & mensura, ad quam omnia tanquam ad finem ordinantur, conueniunt illi perfectissimè definitio legis in superiori puncto constituta, est enim actus rationis, seu actus ab eo, qui est ratio per essentiam, & potestatem habet in omnes creaturas; quibus suam legem lumine rationis indicat, & manifestat.

3 Lex naturalis propriè sumpta dicitur illa, quæ rationi naturæ insita est, quæque natura rationalis discernit honestum à turpi: iniquitatem enim creatura rationali datur dictamen quoddam rationis, consistens in cognitione eorum, quæ honesta, vel inhonesta sunt, conuenientia, vel disconuenientia suæ naturæ.

Difficultas autem est, an hoc dictamen debeat dici lex? Ratio difficultatis est, quia non est à superiore, sed ab ipso proponente. Item quia nihil aliud facit, nisi proponere malitiam, vel bonitatem in obiecto. Ergo supponit iam obiectum esse malum, & prohibitum. Ergo ipsam cognitionem non prohibet, aliàs ipsemet Deus respectu sui ipsius habet propriè legem naturalem, siquidem etiam habet hoc dictamen rationis. Neque etiam disconuenientia, vel conuenientia obiectorum cum naturali natura legem constituere potest, sed est fundamentum ipsius legis prohibentis: ideo enim prohibetur mendacium, quia est dissonum; & ideo mandatur subuenire egeno, quia est conueniens. Item si in hac disconuenientia, vel conuenientia lex naturalis consisteret, diceretur Deus legem naturalem habere, non minus, quam homo, quia non minus, imò magis naturæ diuinæ, quam humanæ est dissonum mendacium.

Propter hæc multi dicunt legem naturalem non esse propriè legem præceptiuam, sed esse legem indicatiuam, quia indicat, quid faciendum sit, quidve omittendum: sic docuit Corduba lib.3. de conscientia, quest.20. ad 2. & alij relictis à Suarez lib.1. de legibus, cap.6. num.3. Sed hoc nullatenus est admittendum, cum lex naturalis, lex propriè appelletur à Patribus, & Doctoribus, & illius transgressores vere peccatores dicuntur, & sunt. Quocirca existimo legem naturalem, seu dictamen rationis includere simul legem æternam Dei, quia procedit à Deo tanquam à supremo legis fonte. Deus enim cum naturas rationales creare voluit, simul voluit illas regere, & gubernare, ad cuius gubernationem necessarium erat leges illis imponere. Impoluit ergo illis legem de vitandis his, quæ interfectæ sunt inhonesta, & disconuenientia naturali naturæ; ut autem hæc disconuenientiam, & inhonestatem cognosceret rationalis natura, lumen rationis ei indidit, quo illuminatur, & regitur, ac proinde hoc dictamen quatenus præsentat ea, quæ à Deo sunt prohibita, habet rationem propriæ legis, & quæ de causa dixit D.Thomas 1.2. quest.92. art.2. legem naturalem esse participationem legis æternæ, & quest.94. art.6. adducit D. Augustinum